INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLIII—IV A DIE XV OCTOBRIS

INSTITUENDARUM.

Brunsbergae,
impressit C. A. Heyne.

1853

LYCEI REGII HOSIANI PRORECTOR

DR. LAUR. FELDT,

PROFESSOR PUBL. ORDIN. ET NONNULLARUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALIS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

PRORECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Bene nostis, Commilitones, ex decreto Tridentini[1]) in rebus fidei et morum nemini licere interpretari sacram scripturam contra eum sensum, quem teneat ac tenuerit ipsa ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum. Plurima autem continentur libris sacris, quae in rebus fidei et morum et nunquam censebantur, neque unquam censebuntur. In his singulis explicandis is palmam assequetur, qui aut sententiam suam ita fulserit, ut ex theologorum judicio et rerum in examen vocatarum rationes et verborum sensum satis detexerit, aut saltem explicationem protulerit, quae ad veritatem propius accedere videatur, quam reliquorum interpretum lucubrationes.

Rebus fidei et morum praeter alias plurimas quaestiones neque ista cohaeret, unde Pauli nomen traxerit, qui ante Saulus vocabatur. Ad quam quaestionem datas alias ab aliis responsiones ubi primum percensuerimus, nostram sententiam Vos, Commilitones, non celabimus.

Lightfootus[2]) Anglus Apostolum contendit inde ab infante duo nomina habuisse, alterum Judaicum, alterum latinum, quo civitas romana indicaretur, qua Tarso oriundi gaudebant. Sane non paucos in ipsis libris sacris invenimus homines, Judaicum nomen una cum graeco latinove habentes, aut nomine Judaico graece latineve verso,[3]) aut nomine novo aliusque notionis ad nomen Judaicum assumto:[4]) sed hac re id tantum efficitur, Apostolum, nomine latino se vocantem, bene multorum gentis suae hominum consuetudinem imitatum esse; quo autem ex tempore hoc nomine usus sit, utrum jam parentes eum sic vocaverint, an postea hoc nomen sibi ipse indiderit acceperitve ab aliis, id inde non liquet.

---

[1]) Sess. IV. Decr. de editione et usu sacr. libror.

[2]) Horae hebr. et thalm. in I. Cor. 1, 1.

[3]) Tabitha, graece Dorcas Act. 9, 36; Thomas, graece Didymus Joan. 11, 16 al.; Kephas, graece et latine Petrus; Silas, quem aliqui suspicantur esse eundem ac nomine latine verso Tertium Rom. 16, 22.

[4]) Joannis et Symeonis Judaeorum nomina latina assumta erant Marcus et Niger (Act. 12, 12; 13, 1.).

Umbreitus Heidelbergensis Saulum inde ab accepta fide christiana Pauli nomine usum esse nuperrime voluit,[5]) ex eo, quod vox hebraea PaʿUL factum aut creatum designat, contendens, Paulum nomen aptissimum esse, quo homo christianus vocetur, quippe qui sit nova creatura (II. Cor. 5, 17. Gal. 6, 15.). At novae creaturae notio in voce ista hebraea minime inest, sed creaturae tantum.

S. Hieronymus[6]) „Quare" inquit „e Saulo Paulus dictus sit, nulla scriptura memorat. Audacter itaque faciam, sed forte vere, de Actibus Apostolorum suspiciones meas affirmans." Et postquam annotavit, inde a Sergio Paulo proconsule ad fidem christianam converso Saulum Apostolum constanter vocari Paulum, sic sermonem prosequitur: „Ut Scipio subjecta Africa Africani sibi nomen assumpsit, et Metellus Creta insula subjugata insigne Cretici suae familiae reportavit, et imperatores nunc usque Romani ex subjectis gentibus Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur, ita et Saulus ad praedicationem gentium missus a primo ecclesiae spolio, proconsule Sergio Paulo, victoriae suae trophea retulit erexitque vexillum, ut Paulus diceretur e Saulo." Minime hisce S. Hieronymus probare sententiam, sed, ut ipse testatur, suspicionem affirmare voluit. Ad normam v. g. Scipionis, ex subjecta Africa Africani nomen accipientis, Saulus Apostolus, a Sergio Paulo proconsule victoriae trophea referens, Paulini forte, non Pauli cognomine vocari debebat. Quum autem multa fiant inopinata, longe absumus, ut S. Hieronymi suspicionem falsam esse dicamus. Id tantum adjicimus, in Actibus Apostolorum, antequam credentis Sergii Pauli mentio facta sit, Saulo Apostolo et Pauli nomen dari (Act. 13, 9.).

Videtis, Commilitones, ab aliis aliam causam nominis Pauli propositam esse, nec tamen harum sententiarum ullam eam esse, quam satis fultam rationibus agnoscamus omnique remota dubitatione veram praedicemus, licet opiniones falsas eas dicere non audeamus. Nostram jam sententiam, si non ut ipsam veram, ut verisimiliorem tamen et pluribus et validioribus argumentis Vobis commendamus. Existimamus enim, post et propter munus Apostolicum Saulo concreditum hunc se vocasse Paulum, atque his quidem de causis:

I. Apostolico munere nullum in ecclesia excellentius fuit (I. Cor. 12, 28. Eph. 4, 1.). Quapropter si forte Saulus, ne summam hanc dignitatem adeptus in superbiam efferretur, nominis sui una littera mutata ex Saulo Paulum se vocari voluit, quo audito nomine humilitatis christianae exercendae recordaretur, apte non minus quam dextre hoc fecit. Paulus enim, si ex vocum paulo et paululum notionibus concludere licet, exiguum, parvum, pusillum denotat. „Non quasi aliqua jactantia" S. Hieronymum ut videtur redarguens scribit S. Augustinus, „sibi nomen mutavit Apostolus, sed ex Saulo factus est Paulus, ex superbo modicus."[7])

II. Propter ipsam acceptam summam Apostoli dignitatem humilitatis exercendae causa Pauli nomen ab Apostolo electum esse, satis aperte Origenes indigitavit, fortasse secutus traditionem Apostolicam. Postquam enim reliquos omnes librorum N. T. scriptores enumeravit, postremo locuturus de Paulo, evitato hujus nomine, sic scripsit: „Novissime ille veniens, qui dixit: Puto autem, nos Deus

[5]) Theologische Studien und Kritiken, 1852 pag. 377 seqq.

[6]) Comment. in ep. ad Philem. 1, 1.

[7]) Enarr. in Ps. LXXII.

novissimos Apostolos ostendit.“ [8]) Qui finis sit hujus locutionis periphrasticae, quo probius perspiciatis, comparetis locum Hebr. 5, 5. exhibentem: „Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.“ Pater erat, qui Christum clarificavit, ut pontifex fieret. Pro eo autem, ut auctor epistolae ad Hebraeos datae scriberet: „Christus non se ipsum claricavit, ut pontifex fieret, sed Pater“ adhibito scripturae sacrae loco (Ps. 2, 7.) patris veri, non adoptivi, notionem periphrastice expressit. Eundem in modum etiam Origenes pro eo, ut breviter scriberet „Novissime veniens Paulus“, locum Paulinum transcripsit, quo nominis Pauli notionem et causam periphrastice indicaret. Nos quidem non possumus, quin hunc sensum loco laudato Origenis contineri statuamus.

III. Saulo existimanti, ad Apostolatum provectos oportere esse humillimos, et propter id ipsum secundum Origenem Pauli nomine se vocanti, specialis praeterea causa fuit humilitatis exercendae hujusque nominis recipiendi, quod praeter opinionem in Apostolis Gentium primum locum tenebat, et Barnaba, simul Apostolo Gentium constituto superior erat. Joses enim Levita fidem christianam amplexus tanto gaudio tantaeque consolationi fuit Apostolis, ut ab iis nomine honorifico vocaretur Barnabas, i. e. filius consolationis (Act. 4, 37.). Idem Barnabas Saulum ad fidem christianam conversum Apostolis commendavit (Act. 9, 27.); postea Barnabas Saulum sibi junxit comitem (Act. 11, 25. 30; 12, 25.); atque in ecclesia Antiochena inter prophetas et doctores primum locum habebat Barnabas, ultimum Saulus (Act. 13, 1.). Ex quibus omnibus intelligitur, Barnabam virum fuisse Saulo, ecclesiae christianae olim persecutori, cum reverentia suspiciendum. Nihilominus Barnabas ad Apostolatum provectus Saulo Apostolo inferior erat. Nam tres illi viri, qui conjuncti primum iter Apostolicum faciebant, Barnabas scilicet, Saulus (qui et Paulus), et Joannes (Marcus), vocantur Act. 13, 13. *οἱ περὶ Παῦλον*, ex quo notissimo idiotismo graeco satis perspicitur, Saulum, qui et Paulus jam vocabatur, caput ejus societatis et ducem illius itineris Apostolici fuisse, ipsoque Barnaba superiorem. [9]) Nec tamen dubitavit, sese vocare minimum Apostolorum (I. Cor. 15, 9.), hoc nomine et munere longe indigniorem non solum reliquis collegis, qui fideles discipuli Jesum comitati erant (Act. 1, 21. seqq.), sed etiam Barnaba, qui consolationi fuerit Apostolis, dum ipse ecclesiam Dei persecutus sit. Tam submisse de se sentiens Apostolus et ipso nomine assumto humilitatem profiteri volebat.

IV. Conditionem humilem designans nomen si quis vir magnus et excellens sibi elegerit, vix illud initio alii homines usurpabunt. Statim ab accepto munere Apostolico quum jam Saulus Apostolus una, cum Barnaba Apostolo et Joanne ministro iter Apostolicum faceret, sine dubio ipse se vocavit Paulum

---

[8]) Hom. VII. in Josuam §. 1; I. Cor. 4, 9.

[9]) Hinc permagna auctoritas eximiaque genuinitatis nota enascitur lectioni varianti, quam cum nonnullis codicibus graecis et versione Syriaca antiquissima pars codicum latinorum tam Italae quam Vulgatae versionis tuetur, exhibentium Act. 13, 2 Spiritus Sancti praeceptum: „Segregate mihi Saulum et Barnabam.“ Aliter enim, nisi ipso Deo auctore, Saulus Apostolus, eousque prophetarum et doctorum in ecclesia Antiochena ultimus, horum primo Barnabae, simul cum ipso dignitate Apostolica decorato, antecedere non potuit. Non officit, quod locis aliquibus Barnabae Apostoli nomen ante Pauli nomen ponitur (Act. 13, 7; 14, 12. 14; 15, 12. 25.), quia totidem et pluribus locis nomen Pauli praecedit (Act. 13, 43. 46. 50; 15, 2 bis. 22. 35), et quia etiam Petrus superior post Jacobum inferiorem ponitur (Gal. 2, 9.).

et a sociis itineris sic vocari voluit; hi vero, ducti reverentia ejus, quem ipse Deus plurimum honoravit, aegre electo hoc novo humilitatis nomine, sed libentius pristino consuetoque ipsis eum vocabant, donec instanter ipso sic volente et urgente recens electum Pauli nomen in usum omnium sensim deveniret. Unde liber Actuum Apostolorum iter illud facientem Apostolum primo vocat Saulum, deinde Saulum, cui et Pauli nomen fuerit, denique Paulum (Act. 13, 7. 9. 13. et deinceps).

Fruamini hisce, Commilitones, sapienter. Valete.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

MICH. JOS. KRUEGER, Dr. P. P. O. h. t. DECANUS.

I. Psalmos selectos interpretabitur diebus Lunae, Martis et Mercurii hora IX—X.

II. Epistolam Paulinam ad Romanos datam explicabit diebus Jovis et Veneris hora IX—X.

III. Antiquitates Hebraeorum docebit die Veneris hora III—IV et die Saturni hora IX—X.

ANDR. MENZEL, Lic. P. P. O. Des.

I. Doctrinam catholicam de redemptione et de redemptoris gratia explicabit diebus Lunae, Martis et Mercurii hora X—XI.

II. Theologiam moralem specialem tradet diebus Lunae hora II—III nec non Jovis, Veneris et Saturni hora X—XI.

III. Theologiam apologeticam sive dogmaticam generalem tractabit diebus Mercurii et Veneris hora II—III.

ANT. PASCHKE, Lic.

I. Introductionem generalem in libros sacros veteris et novi foederis tradet diebus Lunae et Mercurii hora VIII—IX et die Martis horis VIII—IX et II—III.

II. Epistolam S. Pauli ad Galatas missam interpretabitur diebus Jovis et Veneris hora VIII—IX.

III. Historiam dogmatum ecclesiae catholicae proponet die Veneris hora III—IV et Saturni hora VIII—IX.

ANDR. THIEL, Lic.

I. Historiam ecclesiasticam inde a tempore Lutheri usque ad nostram aetatem enarrabit quinquies per hebdomadem.

II. De antiquitatibus ecclesiasticis leget ter per hebdomadem.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, Dr. P. P. O. h. t. DECANUS.

I. Historiam Geometriae inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit, et Theoriam generalem linearum et superficierum curvarum tradet diebus Lunae et Jovis hora II — III.

II. Theoriam Tubi meridiani transportab. secundum Besselii Commentationem: Ueber den allgemeinen Gebrauch des Passageninstrumentes etc. diebus Martis et Veneris hora II — III.

III. Physicen experimentalem docebit et Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae et Jovis hora XI — XII.

IV. Astronomiae elementa ita explicabit, ut ab iis etiam, qui mathesi sublimiori discendae non dederunt operam, intelligi possint, diebus Martis et Veneris hora XI — XII.

MAX. TRUETSCHEL, Dr. P. P. O. Des.

I. Metaphysicam docebit quinquies per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora VIII — IX.

II. Logicam docebit quinquies per hebdomadem iisdem diebus hora vesp. V — VI.

III. Aristotelis de anima libros offert interpretandos bis per hebdomadem diebus et horis definiendis.

IV. Exercitationes examinatorias et repetitorias instituet semel per hebdomadem die et hora definienda.

FRANC. BECKMANN, Dr. P. P. E. Des.

I. Cultus humani civilisque historiam exponet ter per hebdomadem hora VI—VII.

II. Poesis Graece historiam docebit bis per hebdomadem horis definiendis.

III. Historiam Prussiae enarrabit ter per hebdomadem hora VI — VII.

IV. Exercitationes historicas sermone latino instituet semel per hebdomadem hora definienda.

STIPENDIUM SCHEILLIO-BUSSIANUM.

Ad certamen litterarium Commilitones Lycei Regii Hosiani excitantur proposita quaestione hac: *„Quomodo dies dominici et festivi in ecclesia christiana celebrati sint ante Caroli Magni aetatem.“* Praemium constitutum est XXI Imperialium. Tempus exhibendarum scriptionum terminatum est d. 1. Jul. MDCCCLIV.